

Walterii Anglici Fabulae

1.

Mons peperit murem

(WA 26 ; Lba cc. 98-102)

Terra tumet, timor ille gemit gemituque fatetur 1
partum. Pene perit sexus vterque metu.
Cum tumeat tellus, monstrat se monstra daturam.
Sic homines trepidant et prope stare cauent.
In risum timor ille redit, nam turgida murem 5
terra parit. Iocus est quod timor ante fuit.
Sepe minus faciunt homines qui multa loquuntur.
Sepe gerit nimios causa pusilla metus.

2.

De fure et cane

(WA 24 ; Lba cc. 174-178)

Fure vocante canem, protenso munere panis, 1
spreto pane canis talia verba refert:
«Vt sileam tua dona volunt furtisque laborant
esse locum. Panem si fero, cuncta feres.
Fert munus michi dampna tuum, latet hamus in esca. 5
Me priuare cibo cogitat ipse cibus.
Non amo nocturnum panem plus pane diurno,
advena plus noto non placet hostis hero.
Non rapiet nox vna michi bona mille dierum.
Nolo semper egens esse semelque satur.
Latratu tua furta loquar nisi sponte recedas».
Hic silet, ille manet. Hic tonat, ille fugit.
Si quid detur tibi, cur detur respice. Si des,
cui des ipse nota, teque, gulose, doma.

3.

De ranis regem petentibus

(WA 22 ; Lba cc. 199-206)

Fabula nata sequi mores et pingere vitam 1
tangit quod fugias quodve sequaris iter.
Rege carens nec regis inops, sine rege nec exlex,
absque iugo gessit actica terra iugum.
Libertas errore carens se sponte coegit 5
et pudor ob legem forcior ense fit.
Ne libitum faceret, regem gens libera fecit,
et que non potuit pellere iussa tulit.
Rex cepit lenire bonos, punire nocentes,
queque leuanda leuans, queque premenda premens. 10
Res onerat nouitas. Ciues in lege nouelli
que leuiter possent, vix potuere pati.

Urbem triste iugum querula ceruice ferentem
 Esopus tetigit, consona verba nouens :
 Cum nichil auderet ludentes ledere ranas, 15
 supplicuere Ioui ne sine rege forent.
 Iupiter huic voto risum dedit. Ausa secundas
 rana preces subitum sensit in ampne sonum.
 Nam Ioue dante trabem, trabis ictu flumine moto,
 inmarsit subitus guttura rauca timor. 20
 Placato rediere metu videre tigillum,
 stando procul regem pertimuere suum.
 Vt nouere trabem per se non posse moueri,
 Pro duce fecerunt tercia vota Ioui.
 Ira Iouem mouit, regem dedit, intulit ydrum. 25
 Ydrus hiante gula cepit adire lacum.
 Clamitat ecce lacus: 'Morimus, pie Iupiter, audi.
 Iupiter, exaudi, Iupiter, affer opem.
 Nos sepelit venter, nostri sumus esca tyranni.
 Aufer cedis onus, redde quietis opem'. 30
 Ille refert: 'Emptum longa prece ferte magistrum.
 Vindicet eternus ocia spreta metus'.
 Omne boni precium nimio vilescit ab vsu,
 fitque mali gustu dulcius omne bonum.
 Si quis habet quod habere decet, sit letus habendo. 35
 Alterius non sit qui suus esse potest.

4.

De cane carnem in ore portante

(WA 5 ; Lba cc. 226-229)

Nat canis ore gerens. Caro porrigit vmbram. 1
 Vmbra coheret aquis. Ha[mi]s canis vrget aquas.
 Spem carnis plus carne cupit, plus fenore signum
 feneratoris. Os aperit, sic caro spesque per[er]it.
 Non ergo debent pro vanis certa relinquere. 5
 Non sua si quis amat, mox caret ipse suis.

5.

De equo et asino

(WA 43 ; Lba cc. 237-245)

Gaudet equus faleris, freno, sellaque superbit. 1
 Illa quidem vescit aureus arma color.
 Obstat azellus equo. Vicus premit artus azellum,
 vexat onus. Tardat tantus eundo labor
 quod sibi claudit iter. Sonipes inclamat azellum: 5
 'Occurris domino, vilis azelle, tuo.
 Vix tibi do veniam de tanti crimine fastus.
 Cui via danda fuit libera dignus eram'.
 Supplicat ille minis mutusque timore gemebat.
 Tucior et surda preterit aure minas. 10

Summus equi declinat honor. Dum vincere temptat
 vincitur, et cursum viscera rupta negant.
 Priuatur faleris, freno priuatur honesto.
 Hunc premit assiduo reda cruenta iugo. 15
 Huic tergum maceis acuit, labor ulcerat armos.
 Hunc videt huncque iocis temptat azellus iners:
 ‘Dic mihi, vbi della nitens? Vbi nobile frenum?
 Cur esta hec macies? Cur fugit ille nitor?
 Cur manet hic gemitus? Cur tanta superbia fugit?
 Vindicat elatos iusta ruina gradus. 20
 Stare diu nec vis nec honor forma nec etas
 sufficit. In mundo plus tamen ista placent.
 Viue diu sed viue miser, sociosque minores
 disce pati. Risum dat tua vita michi.
 Pennatis non crede bonis. Te nulla potestas 25
 in miseros armet, nam miser esse potes.

6.

De lupo et grue

(WA 8 ; Lba cc. 252-256)

Arta lupum cruciat via gutturis osse retento. 1
 Mendicat medicam multa daturus opem.
 Grus promissa petit de faucibus osse reulso
 cui lupus: ‘An viuus tuta munere meo?
 Nonne tuum potui morsu precingere collum?
 Ergo tibi munus sit tua vita meum’.
 Nil prodest prodesse malis. Mens praua malorum
 inmemor accepti non timet esse boni.

7.

De graculo et pauonibus

(WA 35 ; Lba cc. 285-290)

Graculus invento picto pauonis amictu 1
 se polit et socias ferre superbit aues.
 Quem fore pauonem pauonis penna faetur,
 pauonum generi non timet esse comes.
 Pauo dolum sentit. Falsi pauonis honorem 5
 increpat et domitam verberare nudat auem.
 Nuda latet socias fugit, imiumque pudorem
 sic putat; hanc diro corripit ore comes.
 Ascensor nimius nimium ruit. Aptus in ymis
 est locus. Hic leuis est, illa ruina grauis 10
 Qui plus posse putat sua quam natura ministrat,
 posse suum superans, se minus ipse potest.
 Si[t] tibi nota nature meta fuisset,
 Nec vilis nec inops nec sine veste fores.
 Cui sua non sapiunt, alienis sedulus auceps. 15
 Qui non est sapiens, desinit esse quod est

8.

De equo et leone

(WA 42 ; Lba cc. 298-303)

Tondet equus pratum. Petit hunc leo. Cura leonem 1
hec mouet ut fiat esca leonis equus.
Inquit equo: 'Mi frater, aue. Fruor arte medendi
et comes et medicus sim tibi'. Paret equus.
Cenit equus fraudem et fraudi fraude resistit. 5
Mente prius texens recia fraudis ayt:
'Quesitus placidusque venis. Te temporis offert
gratia. Te rogitat pes michi cente grauis.
hic fauet, instat equo. Subiecto vertice calcem
imprimit et sopit membra leonis equus.
Vix fugit ille, vix audet vita reuerti,
vix leo colla mouens respicit. Hostis abest.
Sic leo se dampnat: 'Pacior pro crimine penam,
nam gessi speciem pacis et hostis eram'.
Quod non es, non esse velis. Quod es, esse fateris.
Est male quod non es qui negat esse quod est.

9.

De leone in senium v<e>rgente

(WA 16 ; Lba cc. 311-316)

Irretit miserum grauitas annosa leonem, 1
inglaciatur corpus corque senile gelu.
Instat aper, pensat veteri pro vulnere vulnus.
Frontis eum telo thaurus vtroque fodit.
Seuit azellus iners et frontem calce sigillat. 5
Haec solo gemitu vindicat acta leo :
'Omnia que vici, me vincunt omnia. Dormit
vis mea, dormit honor, dormit honoris apex.
Cui nocui, nocet omne michi. Multisque pepercit
qui michi non parcunt. Pro pietate nocent'. 10
Hunc timeat casum qui se non fulsit amicis,
Nec dare vult felix quam miser optat opem.

10.

De lupo et vulpe

(WA 38 ; Lba cc. 321-371)

Respondere lupo de furti labe tenetur 1
vulpes. Causa vacat. Hic petit, illa negat.
Simeus est iudex. Docti non errat acumen
iudicis; archanum mentis in ore legit :
'Iudicium fingis; poscis quod poscere fraus est, 5
visque fidem de re quam negat ipsa fides.
Tu bene furta negas. Te vite purior vsus
Liberat. Hanc litem pax domat, ira cedat'.
Simplicitas veri, fraus estque puerpara falsi.
Esse solent menti consona verba sue. 10

Sordibus inbuti nequeunt dimittere sordes.
Fallere qui dedicit, fallere semper amat.

11.

De mure et rana

(WA 3 ; Lba cc. 407-414)

Muris iter rumpente lacu venit obuia muri 1
rana loquax et opem pacta nocere cupit.
Omne genus pestis superat mens dissona verbis
cum centes animi florida lingua polit.
Rana sibi murem filo confederat ; audet 5
nectere fune pedem, rumpere fraude[m] fidem.
Pes cogit ego pedi, sed mens a mente recedit.
Ecce natant. Trahitur ille, sed illa trahit.
Margitur ut secum murem dimargat. Amico
nafragium faciens naufragata ipsa fides. 10
Rana studet margi, sed mus emargit et obstat
nafragio ; vires suggerit ipse temor.
Miluus adest miserumque truci rapit ungue duellum.
Hic iacit, ambo iacent. Viscera rupta fluunt.
Sic pereunt qui se prodesse fatentur et obsunt 15:
Disca[n]t in actorem pena redire suum.

12.

De seminatore lini et yundinibus

(WA 20; Lba cc. 746-754)

Vt linum pareat lini de semine semen 1
nutrit humus, sed aues tangit irundo metu.
Haec ayt : ‘Hoc semen nobis mala dampna minatur.
Vellite pro nostris semina sparsa malis’.
Turba fugit sanos monitus vanosque timores 5
arguir. Exit humum semen et herba viret.
Rursus irundo monet instare pericula. Rident
rursus aues. Hominem placat irundo sibi,
cumque viris habitans cantu blanditur amico.
Namque provisiva solent ledere tela minus. 10
Iam metitur linum, iam fiunt recia, iam vir
fallit aues, iam se concia culpat auis.
Vtile consilium qui vitat, invtile sumit.
Qui nimis est tutus recia iure subit.

13.

De viro qui tempore brume collegit serpentem

(WA 10 ; Lba cc. 1348-1355)

Dum [d]niue candet humus, glacies dum sopit aquarum 1
cursus, in colubrum turpida seuit yems.
Hunc videt, hunc reficit hominis clemencia. Ventum

temperat huic tecto,temperat igne gelu. 5
 Ver redit, ymber abi[i]t, escas cum sole calescit.
 Sic importunus fit magis atque magis.
 Ore serit virus coluber, sic toxicat edem.
 Hospes ayt colubro: ‘Non redditurus abi’.
 Non exit coluber. Non wult exire sed heret,
 amplectenque virum sibula dira mouet.
 Reddere gaudet homo nequam pro melle venenum,
 pro fructi penam, pro pietate dolum.

14.

De venatore et cane

(WA 27; Lba cc. 1357-1366)

Armauit natura canem pede, dente, iuuenta. 1
 Hinc leuis, hinc mordax, fortis et inde fuit.
 Tot bona furatur senium, nam robore priuat
 corpus, dente genas, et leuitate pedes.
 Hic leporem prendit, fauces lepus exit inarmes. 5
 Elumbem domini verberat ira canem.
 Reddit verba canis : ‘dum me pia pertulit etas,
 nulla meum potuit fallere preda pedem.
 Defenda senii culpam laus ampla iuente.
 Pro sene qui cecedit, facta priora vigent. 10
 Nullus amor durat, nisi fructus seruet amorem.
 Quilibet est tantus, munera quanta facit.
 Magnus eram dum dedi, nunc macridus annis
 vileo. De veteri mencio nulla bono.
 Si laudas quod eram, quod sum dampnare proteruum. 15
 Si iuuenom recipis, pellere turpe senem.
 Si misere seruire sciat, qui seruit iniquo.
 Parcere subiectis nescit ninquus homo.

15.

De mure domestico et campestri

(WA 12; Lba, cc. 1370-1385)

Rusticus vrbanum mus murem suscipit ede. 1
 Commedat ad mensam, mensamque mente minor.
 In mensa tenui satis est inmensa voluntas.
 Nobilitat viles mens generosa dapes.
 Facto finis cibis vrbanum rusicus audit, 5
 Urbani socius tendit ad urbis opes.
 Ecce penu subeunt. Inseruit amicus amico,
 Invigilant mense. Fercula mensa gerit.
 Emendat conditque cibos clemencia vultus.
 Conuiuam saciat plus dape frontis honor. 10
 Ecce sere clavis inmurmurat: hostia laxat.
 Ambo timent, fugiunt ambo, nec ambo latent.
 Hic latet, hic latebras cursu mendicat inepto.

Assuitur muro reptile muris onus.
 Blanda penu clauso parcit fortuna timenti. 15
 Iste tamen febricit, teste timore tremet.
 Exit qui latuit, timidum sic lenit amicum:
 'Gaude, carpe cibos. Hec sapit esca fauum'.
 Fatur qui metuit: 'Latet hoc sub melle venenum,
 Fellitumque metu non puto dulce bonum. 20
 Quam timor obnubit non est sincera voluptas,
 Non est sollicito dulcis in ore fauus.
 Rodere malo fabam quam cura perpete rodi.
 Degenerare cibos cura diurna facit.
 Hiis opibus gaude, qui gaudes turbine mentis. 25
 Pauperiem ditat pax opulenta michi.
 Hec bona solus habe que sunt tibi dulci soli.
 Dat precium dapibus vita quieta meis'.
 Finit verba, redit, preponit tuta timendis,
 Et qui summa timet, ticius yma petit. 30
 Paupertas, si leta venit, tutissima res est.
 Tristor inmensas pauper vsus opes.

16.

De gallo et iaspide

(WA 1, Lba cc. 1387-1391)

Dum rigido fodit ore fimum, dum queritat escam 1
 tunc stupet inuenta iaspide gallus. Ayt
 'Res vili preciosa loco variique decoris,
 hanc in sorde iaces. Nil michi messis habes.
 Si tibi nunc esset qui debet esse repertor, 5
 quem fimus hic cepulit, viueret arte nitor.
 Nec tibi conuenio, nec tu michi. Nec tibi prosum,
 nec michi tu prodes. Plus amo cara minus'.
 In gallo stolidum, tu iaspide dona sophie
 pulchra notes. Stolido nil valet illa seges. 10

17.

De cane et asino

(WA 17; Lba, cc. 1401-1408)

Murmuris et caude studio testatur amorem, 1
 Nunc ligwa, catulus nunc pede palpat herum.
 Gaudet herus comitque canem comitemque ciborum
 Efficit. Alludit turba ministra cani
 Arte pari. Similemque similemque fauorem 5
 Lucrari cupiens inquit azellus iners :
 'Me catulo prefert vite mitor, vtile tergum.
 Nec placeo fructu, sed placet ille ioco.
 Ludam. Lude, places, sic lude'. Tempore viso
 Vt ludo placeat, ludit et instat hero. 10
 Blandari putat ore tonans, humerisque priorum

Pressis mole pedum se putat esse pium.
 Clamat herus, vult clamor opem. Subit ordo clientum.
 Multa domat multo verbere claua reum.
 Quod natura negat nemo feliciter audet
 Displicet inprudens vnde placere putat. 15.

18.

De leone et mure

(WA 18 ; Lba, cc. 1425-1434)

Frigida sopito blanditur silua leoni. 1
 Cursitat hic murum ludere prompta cohors.
 Pressus mure leone murem capit. Ille precatur,
 ille precem librat, supplicat ira preci.
 Hec autem mouet hic animo : ‘Quid mure perempto 5
 laudis emes ? Summos vincere parua pudet.
 Si nece dignetur murem leo, nonne leoni
 dedecus et muri cperit esse decus ?
 Si vincat minimum summus, sic vincere vinci. 10
 Vincere posse decet, vincere crimen habet.
 Sit tamen hoc decus et laus sic vincere. Laus hec
 et decus hoc minimo fiet ab hoste minus.
 De precio victi pendet victoria. Victor
 tantus erit, victi gloria quanta fuit.
 Mus abit et grates reddit. Si reddere possit 15
 Spondet opem. Solus fir mora parua dies.
 Nam leo rethe subit nec potest viribus vti.
 Sed prodest querulo murmure dampna loqui.
 Mus redit, hunc reperit, circuit loca, vincula rodit.
 <H>ac ope pensat opem. Si leo tutus abit. 20
 Rem potuit tantam minimi prudentia muris,
 cui leo dans veniam se dedit ipse sibi.
 Tu qui summa potes, non despice parua potentem.
 Nam prodesse potest si quis obesse nequit.

19.

De vulpe et coruo

(WA 15 ; Lba cc. 1437-1443)

Vulpe gerente famem, coruum gerit arbor, et escam 1
 ore gerens coruus, vulpe loquente, silet:
 ‘Corue decore nitens, scingnum candore precellis.
 Si cantu placeas, plus aue quaque places’.
 Credis auis picteque placent prelua ligwe. 5
 Dum canit ut placeat, caseus ore cadit,
 quo fruitur vulpes. Insurgunt tedia coruo.
 Asperat in modico dampna dolore pudor.
 Fellitum patitur risum quem mellit inanis
 gloria. Vera parit tedia falsus honor. 10

20.

De leporibus et cani<bu>s

(WA 28; Lba cc. 1445-1450)

Silua sonat. Fugiunt lepores. Palus obuiat. Herent. 1
Fit mora. Respiciunt ante retroque. Timent.
Dum librant in mente metus, se margere pacti
continuo ranas stagna subire vident.
Vnus ayt: ‘Sperare licet. Non sola timoris 5
Turba sumus : Vano rana timore latet.
Spem decet amplecti. Spes est via prima salutis.
Sepe facit metui non metuenda metus.
Corporis est leuitas et mentis inarcia nobis.
Ista fuge causam suggerit, illam metum? 10
Sic metuat quicumque timet, ne mole timoris
spe careat. Grauis est spe fugiente timor.
Speret qui metuit. Morituros viuere vidi
spe duce, victurus spe fugente mori.